



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XXXV. Quæ gratia sit necessaria in statu naturæ lapsæ, ad
diligendum amore naturali super omnia Deum, vt authorem naturæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

est ad amorem benevolentie. Probatur, quia difficultas illius propositi non est posita in hoc, quod sub hac vel illa ratione magis, vel minus perfecta habeatur, sed in substantia (ut sic dicam) absoluti propositi, quia executio eius quoad observanda omnia præcepta etiam quoad substantiam eorum est impossibilis homini lapsi per vires naturæ, & ideo talis executio obiectivè proposita est obiectum impossibile, ac subindè incapax naturalis propositi absoluti. Hæc autè ratio eodem modo præcedit in tali proposito sub quacunque ratione naturali proponatur. Ob hanc ergo causam credimus assertionem propositam tam esse veram de amore concupiscentiæ Dei super omnia, quam benevolentie. Et licet auctores hoc differre non explicaverint, tamen vel indistinctè loquuntur, vel qui vnum affirmant, aliud non negant, vno, vel alio excepto, qui alio fundamento ducitur, scilicet quod omnis amor benevolentie sit supernaturalis, quod supra refutatum est.

CAPUT XXXV.

Quæ gratia sit necessaria in statu naturæ lapsæ ad diligendum amorem naturæ super omnia Deum ut auctorem naturæ?

1.

1. opinio.

Ratio.

DVas difficultates in cap. 32. n. 1. & 2. insolutas reliquimus, quibus in hoc, & sequenti capite satisfaciendum est. In priori postulat, verum ad habendum hunc actum in hoc statu, necessaria sit habitualis gratia sanans naturam quoad ablationem culpæ. Ita enim nonnulli affirmant, credentes esse sententiam D. Thomæ dicta quæst. 109. art. 3. quoniam dicit, hominem in statu naturæ corruptæ ab hac dilectione deficere, nisi sanetur per gratiam Dei. Gratia autem sanans naturam non est nisi gratia habitualis. Potestque hoc quoad mentem D. Thomæ confirmari, quia eadem gratia requiritur ad diligendum Deum super omnia, quæ ad servanda omnia præcepta naturalia longo tempore, iuxta dicta in capite præcedenti; sed D. Thomas in artic. 4. docet, non posse hominem implere omnia mandata sine gratia sanante, & clariùs art. 8. dicit, non posse vitare omnia peccata sine gratia habituali sanante; idem autem est, vitare peccata, & servare præcepta, quia non peccatur, nisi contra præceptum, unde nec vitantur peccata, nisi servando mandata; ergo cum D. Thomas dicit, requiri gratiam sanantem ad servanda omnia mandata, de gratia habituali loquitur; ergo in eodem sensu dicit, requiri gratiam sanantem ad diligendum Deum. Secundò potest eadem mens D. Thomæ colligi ex dicto art. 4. ad 3. quatenus dicit, non posse hominem lapsum implere præceptum de dilectione Dei ex puris naturalibus, secundum quod ex charitate impletur, quod interpretandū videtur causaliter, scilicet quia illud præceptum naturale non impletur in hac vita, nisi secundum modum charitatis, sed ad implendum quodlibet præceptum secundum modum charitatis est necessaria gratia habitualis, quæ à charitate non separatur: ergo eadem gratia requiritur in hoc statu ad diligendum super omnia Deum, etiam ut finem naturæ. Atque ita sentit Conrad. in dicto art. 3. & insinuant alij recentiores Thomistæ, & plures Theologi, licet ex alij principijs, ut statim referam.

2.

Notatio pro expendenda præcedenti opinione.

1. opinio a fruens amorem prædictum, &c.

Vt fundamentum, & veritatem huius sententiæ expendamus, oportet advertere, duobus modis cogitari posse, hanc dilectionem non posse elici ab homine lapsi sine gratia habituali, scilicet vel consequenter ordine saltem naturæ, licet concomitanter duratione temporis vel antecedenter, siue ordine temporis, siue saltem naturæ. Priori modo existimant aliqui Theologi antiqui, necessario esse coniunctam habituales gratiam, cum hac dilectione, quia est sufficiens dispositio ad gratiam, & ita si non præcedit gra-

tia, saltem consequitur ad illam. Hæc sententia tribuitur Scoto locis citatis cap. 32. Veruntamen cum Scotus in tali dilectione, ut sit ultima dispositio ad gratiam, certam quādam durationem eius requirat, potius supponit, in tempore breviori posse dilectionem illam esse sine habituali gratia. Tribuitur etiam Caietano à nobis etiam citato in cap. 32. nu. 3. Sed ille potius docet expressè, posse hunc amorem aliquo tempore esse informem, id est, non formatum charitate, & consequenter sine gratia. Magis inclinat in hanc opinionem Gabriel, & Almainus, qui cum dicant, illum amorem esse sufficientem dispositionem, & certam eius durationem, aut intentionem non possunt, consequenter dicere coguntur, illum actum non esse sine habituali gratia. Veruntamen fundamentum huius sententiæ reprobum est, & erroneum, quia de fide certum est, nullum actum solis viribus naturæ elicibilem esse sufficientem dispositionem ad gratiam, ut infra ostendemus. Et hinc aperte concluditur, ratione concomitantie, seu necessariæ consecutionis non esse necessariam gratiam habituales ad habendum hunc actum, quia nulla alia ratio illius concomitantie cogitari potest, præter rationem dispositionis ultimæ.

Dices, hoc rectè concludere contra prædictam opinionem, quæ asserbat, illum actum dilectionis Dei fieri viribus naturalibus: posse autem aliquem dicere illum actum elicibilem per auxilium gratiæ esse sufficientem dispositionem ad habituales gratiam, & ita nunquam separari ab illa, saltem consequenter: sic n. hæc sententia non repugnat alteri dogmati, quod actus elicibilis solis viribus naturæ non est sufficiens dispositio ad gratiam. Respondet, etiam in hoc sensu illam sententiam non esse probabilem, sed omnino falsam: suppono enim sermonem esse de actu dilectionis naturalis, ut per se, & ex natura sua elici potest per solas vires liberi arbitrij, licet ex accidenti in natura lapsa, vulnera, & impedimenta eius, hoc impediunt. Unde etiam supponimus, sermonem esse de dilectione, quæ præcisè terminatur ad Deum ut auctorem naturæ, & solum includit observantiam præceptorum naturalium. Quod aduerto, quia potest aliter dici, in hoc statu dilectionem Dei etiam ut est auctor naturæ, nunquam elici, nisi per actum verum charitatis, & sub altiori ratione, qui modus dicendi est omnino distinctus ab opinione, quā nunc tractamus, & paulò post examinabitur, à numero 13.

Hic ergo positis dico, talem actum, etiam ut elicibilem per auxilium gratiæ non esse dispositionem, præsertim ultimam ad habituales gratias, saltem per se loquendo, & extra sacramentum. Hoc enim nunciatum est, ut talis actus etiam si factus non habeat necessariam coniunctionem cum habitu gratiæ, ut per se constat. Probatur autem assumptum primò, quia infra ostendam, nullum actum naturalem habentem eam tantum perfectionem, quæ de se viribus naturæ fieri potest, esse dispositionem ad gratiam, solum quia sit ex aliquo auxilio gratiæ, quia extrinsecum principium efficiens, si non reddat actum in se meliorem, & perfectiorem, non reddit illum magis aptum, ut ad gratiam disponat. Secundò magis in particulari, quia illa dilectio non convertitur hominem ad Deum secundum supremam rationem ultimam finis supernaturalis, & consequenter non potest esse fundamentum propriæ amicitie diuinæ, quæ in supernaturali communicatione fundatur. Item non includit propositum servandi omnia præcepta supernaturalia, & consequenter nec dolorem de peccatis contra eadem præcepta, neque de alijs ut avertunt à fine supernaturali, & ideo non potest esse sufficiens dispositio ad iustitiam, seu gratiam habituales, neque ad remissionem peccati, quod à Deo, ut sine supernaturali hominem avertit. Tertiò probatur ex Concilio Tridentino sessione 6. capite 6. ubi describens dispositionem ad iustitiam, amorem Dei auctoris

thons supernaturalis iustitiæ requirit, & sels. i. 4. c. 4. dicit, tunc contritionem ad iustificationem sufficere, quādo est charitate formata. Igitur manifestum est, dilectionem Dei in se naturalem, quantumvis ex auxilio gratiæ procedat, non esse dispositionem vltimā, ac proinde hoc titulo non habere consequenter, seu concomitanter gratiam habitualement sibi coniunctā.

Alij ergo dixerunt, gratiam habitualement esse necessariam ad hunc actum dilectionis antecedenter; illius autē necessitas duplici modo explicatur. Primò, ut gratia habitualis prærequiratur tanquam præuia dispositio necessaria, ut homo in hoc statu sit capax talis amoris, quia homo in peccato existens, ac permansens est incapax illius, sed in hoc statu non potest esse sine gratia, aut peccato; ergo nisi præcedat gratia, & tollat peccatum, impossibile est habere talem actum. Consequenter patet ex dictis in primo puncto, quia hic actus necessitat ad tollendum peccatū, neq. proximè ad gratiam disponit; si ergo homo existens in peccato, illum actum eliciat, manebunt simul dilectio, & peccatum. Quod autem hoc repugnet, patet, quia aliās talis homo simul esset auersus, & cōuersus ad Deum, item esset cōuersus simul ad Deum, & ad creaturam ut ad vltimum finem. Nam peccator diligit creaturam ut vltimum finem, & qui diligit Deum super omnia, eum etiam diligit ut vltimum finem. Hoc autem repugnat, tum quia nulla esse potest cōuentio lucis ad tenebras, Christi ad Belial, tum etiam quia non potest homo simul habere duos fines vltimos diuersos, nedum repugnantes, iuxta doctrinam D. Thomæ i. 2. q. 1. art. 5.

Hec verò ratio, ut iam suprà tetigi, non probat intentum, quia peccatū originale, vel habituale, & hic actus amoris naturalis nō habent inter se formalem repugnantiam. Quod probat primò, quia anima separata pueri decedentis sine remedio peccati originalis potest diligere Deum; ut auctorem naturæ super omnia, & tamen est in peccato originali, q. post hanc vitam non tollitur, maximè per actum merè naturalem; ergo ibi manet simul peccatum originale, & dilectio actualis, atq. ita in illo exemplo manifestè deficit discursus illius rationis. Probat ergo maior, primò ex D. Th. in 2. d. 33. q. 2. art. 2. ad 5. ubi ait, pueros decedentes sine baptismo, quamvis sint separati à Deo quantum ad coniunctionem gloriæ (adde etiam gratiā) non tñ esse penitus separatos, quia sunt coniuncti per participationem naturalium bonorū. Et ita (inquit) de illo gaudere poterunt naturalis cognitione, & dilectione. Vnde planè concedit quod in argumentum sumptum, illos pueros sicut naturalem cognitionem Dei habebunt, ita posse Deū naturaliter diligere, ubi licet non addat particulam, super oīa, tñ loquitur de tota dilectione Dei per se possibili per vires naturæ. Et ita intellexit, & securus est D. Thom. Sotol. lib. i. de Natur. & grat. cap. 14. & probat optima ratione, quia naturalis ratio eō inclinatur, & ibi cessat impedimentum ponderis carnis. Quā rationem nos statim virgēbimus, additq. permultos tenere illam sententiam; quā etiam sequitur Medina dicto art. 3. in 4. conclus. de dilectione naturali, ubi etiam ita intelligit D. Thom.

Ratione etiam tacta videtur conuinci, quia hic actus est possibilis per vires intrinsecas voluntatis, quæ in pueris illis integrè manent, & in eis non est inordinata concupiscentia, nec futura est aliqua grauis tentatio, ut suppono; ergo possunt illi pueri integrè, & ad quare exercere vires sui arbitrij, diligendo Deum; nam sola culpa, seu priuatio gratiæ non potest impedire vltim facultatis naturalis, ut in i. lib. latè probauit. Et confirmatur, quia puer existens in solo originali post hanc vitam, vel anima eius potest implere omnia alia præcepta naturalia viribus naturæ propter rationem factam, quod ibi cessant impedimenta concupiscentiæ, & familia huius vitæ, vnde quoad hoc assimilatur ille status statui naturæ integræ gratia carentis; ergo potest etiam diligere Deū super omnia,

Pars 1.

quia qui potest exequi suis viribus obseruantiam totius legis naturalis, potest etiam illam absolute, & efficaciter proponere; quod solum desiderabam us in homine lapsō, ut posset hunc actum dilectionis super omnia elicere.

Secundò est ratio à priori, quia actus, & habitus non opponitur formaliter, ideoq. simul esse possunt circa contraria obiecta; ut ex Philosophia constat; peccatū autem originale quasi habituale est; sicut & personale, quatenus reatu manet, actu transactō, & ideo actus dilectionis naturalis non opponitur formaliter habituali peccato. Ac proinde ex hac parte nō repugnat; actum naturalis dilectionis Dei simul esse cum peccato originali, vel alio habituali. Imo etiam de dilectione supernaturali, & charitatis diximus in materia de Incarnat. & de Pœnitent. non excludere formaliter culpam habitualement, licet per illam expellatur talis culpa; quatenus disponendo proximè ad gratiam, efficaciter impetrat remissionem culpæ. Dilectio autē naturalis non sufficienter disponit ad gratiam, & remissionem peccati, ut ostensum est, & ideo neq. isto modo repugnat cum habituali peccato. Accedit, quod conuersio illa, vel auersio originalis, vel habitualis peccati præter priuationē gratiæ habitualis non est aliquid physicū, sed morale, & ideo minorem habet repugnantiam cum actuali conuersione contraria, & physica, ideoq. de potentia absoluta non repugnat, habitualement culpam simul esse cum actu charitatis, ut in materia de Pœnitent. docui, & inf. etiam dicā. De potentia autē ordinaria hoc nō habet locum, quando amor Dei est perfectus, & charitatis, quia est plena conuersio ad Deum, & integra retractatio peccati. Hoc autem non habet dilectio naturalis, ut satis explicui, & ideo etiam de potentia ordinaria non repugnat talem dilectionem esse simul cum originali, vel habituali peccato.

Dices, quāuis illa dilectio non plenè conuertat voluntatem ad Deum, nec auertat ab omni peccato, saltem cōuertit sufficienter ad Deum ut finem naturalem, & auertit ab omni peccato contrario legi naturali; ergo saltē sufficit, ut remittatur macula peccati ex ea parte, qua auertit hominem à fine naturali, quia non repugnat, hominem esse auersum à fine supernaturali, & non à naturali, nam de originali peccato ita multi sentiunt, & in quocunq. fieri posse docuit Caiet. i. 2. quæst. 113. art. 2. Respondetur, quidquid sit, an de potentia absoluta sit possibilis dimidiata venia, seu remissio peccati quoad culpam, de lege ordinaria, & iuxta diuinam institutionem, certum est non ita remitti culpā peccati. Itemq. certum est, naturalem actum non esse sufficientem ad tollendam, vel minuendam culpam, quia auersio moralis à Deo ut fine naturali, quando fit, seu contrahitur, semper est coniuncta cum auersione à fine supernaturali, & ideo nunquā tollitur sine dispositione, vel forma, quæ ad finem supernaturalem hominem conuertat. Præterquam quod, licet Deus illo modo remitteret auersionem tantum à fine naturali, id non faceret, infundendo gratiam, nec iustificando hominē, & ideo etiam tunc talis dilectio non supponeret gratiam, neq. illā necessario coniunctā haberet; ergo multo minus nūc illam prærequirit, quādo ille actus non sufficit ad culpam vltimo modo tollendam aut minuendam.

Alio ergo modo dicitur necessario præsupponi gratia ad huiusmodi actū dilectionis, quia est veluti principium, seu fundamentum eius. Non quidē quia gratia, vel charitas, sit proprium principium, aut virtus talem actum eliciens, nam virtus infusa non elicit actum acquisitum, seu naturalem: sed quia talis dilectio non fit, nisi per auxilium gratiæ sanantis; hoc autē auxilium non datur, nisi iustus, quia nō datur, nisi ratione ipsius gratiæ habitualis sanantis animam. Nam illi soli debetur, & non est cur gratis detur homini indigno, & peccatori, cum actus ille non sit necessarius, imò neq. per se ordinatus ad remissionē peccati, vel ad iustitiam obtinendam.

Gg 2 Ex

Impugnatur
2. a priori.

Obiicitur.

Diluitur.

10.
Alter modus
explicandi
opinionem.

*Probabilis
prædicta opi-
nis si requi-
ritur habita-
li in gratiâ
non ex na-
turæ rei, sed
Dei lege.*

Ex hac verò ratione, seu declaratione in primis summo, ex natura rei non esse necessariam gratiam habitua-lem ad eliciendum hunc actum, quia illa, nec per se, nec per habitus suos elicit huiusmodi actum; ergo sine illis habitibus potest dari voluntati sufficiens adiutorium ad efficiendum illum actum; hoc autem adiutorium non est per se conexum cum tota habituali gratia, neque ex natura rei illam necessariò supponit, hoc enim neque ratione facta probatur, neque vlla occurrat, quæ possit fieri verisimile. Ergo ad summum relinquitur, gratiam habitua-lem præquiri ad hunc actum dilectionis ex lege, & ordinatione diuina, non ex necessitate rerum connexionem, sed quadam morali congruentia. Sicut supra dicebamus, ad non peccandum diu contra legem naturæ necessariam esse in hoc statu gratiam habitua-lem, non ex natura rei, sed ex lege diuina. Idem ergo erit in præsentem, quia dilectio super omnia habet annexam obseruationem omnium mandatorum, & illi æquiparatur iuxta superius dicta.

*12.
a. Assertio,
prædicta opi-
nis est omni-
no incerta,
Probatur 1.*

Probatur 2.

*Coniectura
pro ea in nu-
10 diluitur.*

Atque hic modus dicendi sic expositus probabilis est, sed mihi valde incertus. Primò, quia quòd Deus peccatoribus præstet fideli- bus nunquam det sufficiens auxilium ad huiusmodi actum, nisi prius se disponant ad iusticiam, pèdet ex diuina voluntate, quæ vel autoritate debet nobis innoscere, vel ex effectibus sufficienter colligi. In præsentem autem nulla est autoritas, vel testimonium, quo de tali diuina voluntate constet, nullum enim assertur, neque ego illud inuenio. Neque etià ex effectibus colligitur, quia multi diligunt Deum, qui nesciunt, an amore, vel odio digni sint, qui etiam ignorat, an dilectio illa, quam experiuntur, sit naturalis, vel supernaturalis, perfecta, vel imperfecta; ergo ex effectibus cognosci non potest, an peccator recipiat auxilium ad eliciendum actum naturalem dilectionis Dei, nec ne? ergo nulla via ostendi potest, Deum nò dare hoc auxilium, nisi tantum iustis. Neque etià cōiectura ad id persuadendum adducta, est magni momenti, quia licet hoc auxilium non sit debitum peccatori, potest nihilominus illi gratis donari, sicut multa alia dona, & auxilia gratiæ ei conferuntur. Et licet actus naturalis dilectionis non sit necessarius ad conuersionem peccatoris, potest tamen esse utilis, quod satis est, ut auxilium ei cōferatur. Sicut etiam iusto non est necessarius hic actus, sufficit enim illi amor charitatis, imò melius ei esse, hunc semper exercere: & nihilominus Deus pro admirabili, & varia suæ prouidentie dispositione, interdum tribuit auxilium ad hunc amorem, interdum ad perfectionem, prout ei placet, vel prout occasiones occurrerunt causarum postulant, quibus ipse accommodat quoad auxilia gratiæ, quantum, & quomodo vult. Neque est necessaria illa cōparatio inter actum dilectionis, & diurnam obseruantiam mandatorum, quia hæc consistit in executione, quæ successu tēporis, & multis actibus fit, ideoque ad illam necessaria est specialis Dei protectio, & perseverantiæ donum, vel integrum, vel magna ex parte, quæ sunt propria filiorum: at verò dilectio cōsistit in vno actu simplici, quæ obiectiue tantum includit obseruantiam mandatorum, utique in proposito, & ideo ad illum sufficit vnum, vel aliud auxilium, quod etiam solet peccatoribus communicari. Quapropter probabilis existimo, etiam ex hoc cap. non necessariò præsupponi gratiam habitua-lem ad hunc actum, ac proinde posse hunc actum inueniri in peccatore, præsertim fideli, quid verò de infideli sentiendum sit, paulò post dicam.

*13.
Opinio 3
principalis*

Præter dictas sententias inuenio aliam viam fundandi necessitatem gratiæ habitua-lem ad diligendum Deum, ut auctorem naturæ super omnia, nimirum quia in hoc statu non diligitur Deus etiam ut auctor naturæ per actum naturalem, sed solum per infusum, & supernaturalem. Vnde quia amor supernaturalis Dei non est nisi amor charitatis, quæ semper est coniuncta gratiæ tanquam radici, & principali fonti, id-

eò talis dilectio nunc semper gratiam prærequirit. Hanc opinionem indicat Conrad. dicto art. 3. in fine corporis, ubi notat differentiam inter hominem in hoc statu, & in natura integra; quòd nunc sanatus per gratiam, non diligit Deum naturaliter, sed gratuitò amore, homo autem in natura integra diligit naturaliter, id est, ex natura tantum, exclusa gratia gratum faciente, Deum super omnia. Quæ differentia non videtur posse in alio sensu intelligi. Et videtur illi fauere D. Thom. in secundo loco supra allegato. ubi significat hæc dilectionem semper nunc esse secundum modum charitatis. Ratione potest etiam hæc opinio suaderi, quia homo lapsus non refumit vires (ut ita dicam) ad diligendum Deum, nisi mediante fide, quæ est totius iustitiæ fundamentum, sed per fidem nò mouemur ad diligendum Deum, nisi ut obiectum supernaturalis amoris; et ergo in hoc statu nunquam diligitur Deus super omnia, ut est auctor naturæ, quin eodem actu diligitur ut obiectum supernaturale, ac subinde amore charitatis.

Veruntamen neque ista sententia vera mihi videtur, neque ad mentem D. Thomæ. Ille enim in dicto artic. 3. sicut in Angelis, & in homine integro, ita etiam in homine lapsò duos actus amoris docet inueniri posse, naturalem scilicet, & supernaturalem, differentiam autem in hoc solum constituit, quod in Angelis, & homine integro poterat liberè arbitrium cum solo generali concursu elicere talem actum, in statu autem naturæ lapsæ non potest, nisi iuuetur, ita verò adiutum possit illum actum eiusdem speciei, & nature elicere, aliàs falsum esset, posse hominem lapsum elicere talem actum, etiam cum adiutorio Dei. Atque ita intellexerunt, & secuti sunt D. Thomam Caietan. Soto, Medina, & alij auctores. Et idem supponunt Theologi antiquiores, siue enim sentiant, hunc actum naturalem posse fieri ab homine lapsò per vires arbitrii, siue cum auxilio gratiæ, omnes supponunt, posse esse in illo sine modo charitatis, & eiusdem speciei, cuius esset in homine puro, ut loquitur D. Thomas quodlibet. 1. art. 8.

Et ratione probatur, quia homo lapsus præter cognitionem fidei potest habere cognitionem naturalem Dei, & ad illam in suo ordine obtinendam, & ad iudicium ferendum, quomodo sit diligendus Deus sic cognitus, potest à Deo specialiter iuari, non confundendo naturale iudicium cum iudicio fidei, neque illi adiungendo peculiarem modum fidei in certitudine, vel aliam similem proprietatem, sed tantum iuando, ut in proprio ordine iudicium naturale perfectum sit; ergo simili modo potest voluntas in hoc statu sequi intellectum amando Deum solum ut propositum per naturalem cognitionem, & iudicium, & similiter iuari à Deo ad amandum illud obiectum super omnia prout præcisè proponitur, ac subinde dilectione naturali sine elevatione, vel confusione cum amore charitatis. Antecedens videtur profectò per se notum, quia ille modus prouidentie non solum non includit repugnantiam, verum etiam non excedit debitum ordinem, & suauitatem prouidentie Dei cum hominibus huius status. Vnde non solum illud intelligimus de potestate absoluta, sed etiam de ordinata; imò credimus, hoc auxilium sæpe dari esse à Deo Philosophis etiam infidelibus ad naturalem Dei cognitionem verius obtinendam, maxime ad speculatiuam. Cur ergo nò interdum id faciat in practica? Cōsequenter verò probatur à paritate rationis, & quia nulla probabilis apparet, ut hunc modum prouidentie, & vsum eius negemus. Aliàs eadem ratione dici posset, Deum non iuare hominem lapsum ad habendum aliquem amorē ipsius Dei in hac vita, nisi ad supernaturalem, & infusum, & consequenter quoties aliquem Deum amorem in nobis experimur, certum nobis esset talem amorē esse supernaturalem, & charitatis, quod certè incredibile est, & parum consentaneum alijs dogmatibus fidei, præsertim illi, quòd nò possumus esse certi de nostra iustitia.

Quo-

16. *Excluditur
omnis sensus
affectionis* 3. *ut autem* *omnium bonorum gratiæ, & naturæ.* Vbi particula, *ut*, non rationem, sed quia tendit actus in tale obiectū, sed in quam tendit, demonstrat. Tunc autem ratio authoris naturæ non est in illo obiecto adæquata, sed in adæquata modo nostro intelligendi respectu talis amoris. Nihilominus tamen non potest sic diligere, nisi modo supernaturali, quia totū illud obiectum supernaturalis est, & bonitas illa naturalis non amatur, nisi ut includat in vna eminentissima bonitate, quæ oīa complectitur. Quapropter de hoc actu verum est, esse proprium amoris charitatis, & non posse haberi sine habitu gratiæ, vel præexistente, quādo ille actus elicitur ab habitu charitatis, vel saltem consequente secundū ordinem naturæ, ut in primo actu, qui non elicitur ab habitu, sed ad illius infusionem disponit. Sed tamen nunc de hoc actu non tractamus.

17. *Excluditur
alter sensus* 3. *ut autem* *omnium bonorum gratiæ, & naturæ.* Secundo modo potest diligere Deus ut finis naturalis in ratione obiecti formalis, quod amatur, ita ut illa præcisa ratio sit adæquata obiecto illius amoris, quia præcise sub ea ratione consideratur, & voluntati proponitur. Potest autem sic proponi, & considerari per solam fidem, nam sicut hæc veritas, quod Deus sit author naturæ, licet possit cognosci ratione naturali, altiori modo cognoscitur, & creditur per fidem, ita etiam sine interuentu rationis naturalis potest fides proponere voluntati Deum ut finem naturalem tanquam super omnia diligendum; potest ergo etiam à voluntate sic amari. Tunc autem amor ille, si procedat ex conformitate illius ad regulas fidei, & prudentiæ infusæ, in se est supernaturalis, & specie distinctus ab actu merè naturali, sicut de alijs etiam actibus moralium virtutum infusarum lib. sequenti dicemus. Idem quoque ad habitum charitatis pertinet, & ut conaturali modo fiat, illum, & consequenter etiam gratiam prærequirit. Nihilominus tamen ille actus esse potest ante habitum gratiæ ex solo auxilio diuino, non tantum ordine naturæ, quod est ferè certum, sed etiam duratione temporis, quod est valde probabile, quia ille actus, etiam si charitatis sit, non est ita perfectus, ut sit sufficiens dispositio ad gratiam, quia non perfectè conuertit animam ad Deum, & ad omnium præceptorum eius obseruationem, ut ex supra dictis intelligi potest. Sed de hoc latius in materia de iustificacione, nam etiam nunc non de isto actu tractamus, quem supernaturalis esse supponimus.

18. *Sensus in
quo affectio
procedit.* *ut autem* *omnium bonorum gratiæ, & naturæ.* Tercio ergo modo diligitur Deus ut author naturæ secundum eam præcisè rationem per naturalem lumen consideratus tanquam dignus, ut diligatur super omnia secundum rectam rationem, sicut diligitur ab Angelo, vel potuit diligere ab homine integro ex puris naturalibus. Et hunc actum dicimus esse posse in homine lapsō à Deo conuenienter adiuto, & nihilominus esse eiusdem speciei, & substantiæ, cuius esset in natura integra, sicut obseruatio aliorum præceptorum naturalium est eiusdem speciei, licet fiat cum adiutorio gratiæ. Vnde etiam fit, talem actum in natura lapsā de se nō postulare habitum infusum; imò neq; fidem, quantum est ex natura eius, quia per se non procedit ex fide. Atque ita concludimus, habituales gratiam non esse necessariam ad eliciendum hunc actum in natura lapsā; ostendimus enim, huiusmodi necessitatem nulla ratione sufficienti, aut fundamento niti, sine ratione autem non est talis necessitas asserenda. Eò vel maxime, quod etiam exemplo, & ratione ostendimus, inueniri hunc actum sine gratia habituali, siue antecedente, siue consequente. Et hanc sententiam supponit Caietan. 1.2. q. 113. art. 2. nam propterea dixit posse hominem esse auersum à Deo ut sine supernaturali, & conuersum ad eum ut finem naturæ. Sequitur Medina q. 109. art. 3. circa finem. Soto in 4. d. 17. q. 2. art. 5. §. Contra hoc. Vega q. 10 de Iustificat. & idem sentit Marf. in 1. q. 26. & in 2. q. 13. & Pars 1.

fauet D. Thom. in 2. d. 33. q. 2. art. 2. ad 5. quem locum supra num. 6. tractauimus. Et bene explicat Molin. in Concord. q. 14. art. 13. d. 19. memb. 6. ratione 6. & disp. 33. & 36.

19. *Ad locum
D. Thom. in
contrarium
adductum
in n. 1.* Neq; contra hanc resolutionem obstant, quæ proponantur. Nam in primis quod D. Thom. dixit art. 3. de homine lapsō propter corruptionem naturæ, nihil sanetur per gratiam, etsi intelligatur de gratia habituali, & de sanitate à culpa, referenda est, non solum ad actum dilectionis, sed etiam ad executionem eius per obseruantiam diuturnam omnium præceptorum naturalium. Et hoc sine dubio intendit D. Th. in illa parte rationis suæ. Cum verò concludit de actu dilectionis, non dicit esse necessariam gratiam sanantem, sed *auxilium gratiæ sanantis*, quod certè minus est, & sæpè dari solet ante gratiam ipsam sanantem, ut per illud homo paulatim ad habituales gratias disponatur. Et hac ratione meriti dicitur vocatur, etiam si antecedit, quia propter illam datur, vel quia per illud incipit debilitas naturæ sanari, & ita communiter appellatur. De hoc ergo auxilio loquitur D. Th. in conclusionem illius art. 3. Neq; in hoc admittenda est æquiparatio inter singularem actum dilectionis, & diuturnam, obseruantiam mandatorum, ut iam dictum est, & ratio differentiæ est assignata.

20. *Ad locum
alterum in
eodem n. 1.* In alio verò loco art. 4. ad 3. non loquitur D. Thomas de præcepto dilectionis Dei ut ad puram naturam pertinet, & per actum naturalem impleri potest, sed de præcepto integro dilectionis Dei, prout Deuter. 6. & Matth. 22. propositum est, quod ex charitate, seu cum modo charitatis impleri debet. Et similiter loquitur de illo præcepto D. Thom. 1.2. q. 100. art. 10. vbi hac ratione ad 3. dixit, præceptum charitatis non impleri sine gratia, quod etiam de habituali verum est. Nunquam tamen dixit D. Thomas præceptum illud, prout nascitur ex pura natura, non posse fieri in natura lapsā per actum naturalem, aut non posse obseruari sine modo charitatis infusæ. Neq; obstat, quod in dicta solut. ad 3. art. 4. cum dixisset, præceptum illud secundum quod ex charitate impletur, non fieri ex solis viribus naturalibus, adiungit, ut ex supradictis patet, id est, ex dictis in art. 3. ut notatur in margine, vbi de puro actu dilectionis naturalis aperte loquitur. Non, inquam, hoc obstat, quia fortasse nō refert art. 3. sed ea, quæ proximè dixit in corpore articuli, vbi docuerat, nullum præceptum impleri quoad modum charitatis sine gratia, vel referatur art. 3. addendum est, in solut. ad 1. vbi dixerat, charitatem eminentius diligere Deum, quam natura diligit. Nam in corpore articuli nihil dixerat de modo charitatis, sed de solo actu dilectionis naturalis, & ad illum requirit auxilium gratiæ, non propter modum charitatis, sic enim eadem esset ratio in Angelo, & in homine integro, sed propter naturæ lapsæ corruptionem. Nisi velimus loqui de modo charitatis, non secundum adæquationem, sed secundum proportionem; quia sicut dilectio charitatis Dei est super omnia simpliciter, ita dilectio naturalis est super omnia in suo ordine. Sic autem ille modus non requirit gratiam ex se, & ex obiecto suo, sed tantum per accidens in lapsa natura propter debilitatem eius, quæ per auxilium sine habitu adiuuari potest.

21. *Dubium.
An saltem
requiratur
actuale
auxilium
supernaturale
ad
mediante fide,
quæ est
fundamentum
totius iustitiæ,
diuini amoris.* Occurrit autem ulterius inquirendum, quale sit hoc auxilium, id est, an sit necessarium auxilium ordinis supernaturalis, vel sufficiat aliquod auxilium naturalis ordinis. Videri enim potest, esse necessariū auxilium supernaturalis ordinis, quia non datur, nisi mediante fide, quæ est fundamentum totius iustitiæ, & omnium, quæ ad illam conducunt. Vnde per illam etiam impetrantur omnia auxilia, quæ in hac vita ad bene viuendum dantur, inter quæ non immeritò numerandum est hoc auxilium. Nihilominus dicendum est, auxilium præcisè necessarium ad habendum hunc actum in natura lapsā, esse ordinis naturalis. Probatur, quia auxilia suapte natura ordinis supernaturalis

his solum sunt per se necessaria ad actus eiusdem ordinis, ut sunt actus virtutum infusarum, & donorum; at verò hic actus dilectionis non est ordinis supernaturalis, neque elicitur a virtute infusa charitatis, ut explicatum est; ergo de se non requirit auxilium ordinis supernaturalis. Aliunde verò ad supplendum defectum ex naturæ corruptione contractum sufficiunt auxilia ordinis naturalis, quibus, vel magis illustretur intellectus in naturalibus, vel voluntas in eodem ordine confortetur; ergo. Et declaratur amplius, quia hoc auxilium non postulat utriusque principium per se necessarium talis actus, quia iam ostensum est, voluntatem habere sufficientes vires naturales, quibus sit principium proximum, & per se huiusmodi actus, nisi ex corruptione naturæ esset impedita. Postulat ergo hoc auxilium solum ad tollenda impedimenta, vel ad augendam cognitionem naturalem, quatenus practice potest excitare voluntatem, aut ad augendam ipsam inclinationem voluntatis per habitum aliquem per accidens inditum, vel per motionem proportionatam: hæc autem omnia pertinent ad ordinem naturalem, & per providentiam gratuitam eiusdem ordinis fieri possunt; ergo ad hunc effectum auxilium ordinis naturalis sufficientis est.

22. Vnde ad rationem dubitandi responderetur, fundamentum fidei non esse necessarium ad hoc auxilium, ex natura rei. Nam cum hoc auxilium ad effectum merè naturalem ordinetur, id est, ad naturalem dilectionem per fundatam in cognitione naturali, non est cur ad illam sit necessaria aliqua supernaturalis cognitio, saltem ex natura rei. Vnde capite sequenti dicemus, posse hoc adiutorium dari homini in puris naturalibus, in quo nulla sit fidei cognitio. An verò in natura lapsa statuerit Deus, non dare hoc auxilium infidelibus, incertum est, quia pendet ex voluntate Dei; quæ nobis non est reuelata, nec per discursum, aut effectus potest satis investigari. Coniectura enim facta non probat, pendere hoc auxilium à fide, sed probat solum non posse impetrari sine fide, quod verum est, posset tamen Deus illud gratis dare. Neque ex eo, quod infidelis iuuetur ad talem actum, & illum eliciat, sequitur aliquod absurdum, quia talis actus nec pars esset iustitiæ, nec initium eius, nec meritum alicuius auxilij supernaturalis ordinis, sed solum sequitur, quod talis actus possit esse simul cum peccato habituali, quod iudicamus, non esse inconueniens prout ostendimus. Et nihilominus probabile est, Deum non dare hoc auxilium hominibus infidelibus, quia in suo ordine est valde perfectum, & insigne beneficium, quo infideles in eo statu sunt prorsus indigni, non solum ratione culpæ, sed quia illis esset quasi inutile, quia neque ad felicitatem, neque ad fidem comparandam illis deferretur, vnde esset veluti sancti dare canibus. Quanquam quia rationes diuinæ providentiæ plures sunt, quam nos assequi possimus, satius est, hoc eius dispositioni committere.

23. Vltimò potest in hoc puncto interrogare aliquis, an ad hunc actum sufficiat spes, ut ita dicam, obtinendi auxilium in futurum ad seruanda omnia præcepta longo tempore, vel requiratur aliud auxilium, quod tunc detur, quando elicitur talis actus dilectionis. Quod n. hoc sufficiat, hoc discursu videtur probabile fieri, quia diximus, totā impotentiam habendi hunc actum in natura lapsa per proprias vires, oriri ex impotentia hominis lapsi ad obseruandam diu totam legem viribus suis. Ponamus ergo hominem credere, & sperare fore adiuvandum à Deo ad obseruationem diturnā totius legis per specialiorem providentiam, & protectionem ordinis naturalis, vel supernaturalis, sicut nunc fideles credunt, & posset infidelis, v.g. hæreticus, aut etiam Iudæus, idem credere per fidem humanā, & consequenter etiam sperare per fiduciam quandam tali fidei proportionatam. In homine ergo ita disposito propositum absolutum, & efficax seruā-

di omnia præcepta non est de obiecto impossibili, quia id simpliciter possumus, & id eo quando tale adiutorium speratur, obiectum merito iudicatur, & proponitur ut simpliciter possibile; ergo ipsum propositum de tali obiecto etiam est possibile per vires naturales voluntatis. Nam quod illa obseruantia madorum fiat possibile per auxilium, non sufficit, ut obiectum illud in ordine ad propositum excedat vires voluntatis, quia semper est obiectum naturale, & sub ratione alicuius honestatis naturalis proponitur, sicut aliqui peccatores absolute, & efficaciter proponunt facere, quod tantum cum auxilio demonis facere possunt. Est etiam optimum exemplum de Adamo, qui ratione iustitiæ originalis, si in ea perseverasset, legis mandata seruare potuisset, & id eo in statu illo integre naturæ potuit suo arbitrio habere absolutum propositum seruandi mandata, quia iam habebat adiutorium sufficiens, quo posset illa seruare. Quāvis id non esset facturus sine adiutorio Dei naturæ non debito. Ipsum enim donum iustitiæ, seu integritatis naturæ erat donum Dei non debitum naturæ, & erat adiutorium ad seruanda mandata. Ergo similiter in proposito, quāvis auxilium ad seruanda mandata futurum sit gratuitum, & ex suppositione illi facta per fidem, & spem, poterit liberum arbitrium tale propositum concipere. Vnde vltius fit, ut etiam possit Deum super omnia amare, quia tota difficultas, vel impotentia amoris in difficultate, vel impotentia illud propositum concipiendi consistere dicebatur.

24. Et declaratur vltius, nam si suppositio vera sit, & Deus postea conferat adiutorium speratum, poterit amor ille esse efficax, etiam quoad perseverantiam, & executionem; ergo eadem ratione potuit esse efficax in proposito, & absoluta voluntate. Nec tamen in eo casu sit amor sine aliquo adiutorio Dei naturæ non debito. Nam adiutorium illud, quod dandum speratur ad implendam totam legem, ut prius oblatum, est quoddam adiutorium ad amorē illum eliciendum, non solum quia excitat voluntatem per modum beneficii promissi, sed etiam quia hic actus dilectionis non requirit auxilium physicum ex parte potentiae, ut eliciatur, quia naturalis est, & de se proportionatus viribus arbitrij, ut supra dictum est, sed indiget auxilio, quod ita in re postea iuuet ad executionem amoris, ut prius apprehensum, & ut futurum representatum reddat obiectum amoris possibile, ac subinde amabile amore absoluto, & efficaci. Vnde etiam fides ipsa, & fiducia de tali auxilio futuro multum iuuat, ut voluntas ad talem amorē eliciendum confortetur. Nam hoc adiutorium, ut etiam dixi, non est necessarium ut principium physicum, & per se talis actus, sed ut moraliter iuuet, tollendo impedimenta, & erigendo arbitrium, fides autem illa, & fiducia hoc optime præstat, ut per se clarum videtur. Eò verò melius iuuabunt, quò fides illa, & fiducia certior, & firmitior fuerit. Ideoque etiam fides, & spes Christiana optime possunt ad illum actum iuuare, nam sepe actus supernaturales etiam ad naturales iuuant. Oportet tamen, ut non obstante illa fide, & spe supernaturali, amor feratur in obiectum sub limitata ratione naturali, alioquin amor non erit naturalis, de quo loquimur, sed supernaturalis, & per fidem, & spem indigebit proprio principio supernaturali physice adiunæ potentiam ad illum eliciendum, quod ad amorem naturalem non est necessarium, ut dixi. At verò si fides de adiutorio futuro sit tantum humana ex aliqua probabili ratione, vel humana auctoritate concepta, necesse est etiā, ut fiducia sit infirma, & formidans, ne credulitas illa falsa sit, & postea subsidium speratum desit, & tunc etiam amor consequenter erit minus efficax, & absolutus, & de se virtualem conditionem includens, si adiutorium non desit, & si vera sit promissio, & ex hac parte amor erit imperfectus, etiam si aliunde super omnia, & secundum presentem dispositionem de se efficax, & absolutus esse videatur.